



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio LXXIX. De operatione Christi. S. Thom. q. 23.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 21.

vnionem: exigit ergo hoc dominium carentiam vnionis.

§. 79. Aduerte à nonnullis censerì, esse seruitutem hanc subiectionem Christi, & potestatem Dei illo vtendi pro libito esse dominium. ita docet P. Luisius opusc. 13. disp. 1. Verùm ijs non acquiesco si loquantur de seruitute propriè, & non allegoricè: Adrianus enim & Concilium hanc seruitutem negarunt vt inimicam vnitati personæ. Si verò loquantur improprie, ea seruitus est admittenda cum ipso Adriano & Concilio: qui hanc humilitatis &

subiectionis obedientiam, dixerunt esse seruitutem improprie. omnis ergo vera seruitus damnata est in Christo. Nec possum cum ijs auctoribus conuenire in voce à Pontifice reiecta: nec enim ipsi nituntur Aristotelicæ definitioni serui, vt innixus Adrianus, qui in actu exercito ea vitur vt definitione per se nota: quia verus seruus est in persona distinctus à domino. Quia verò ij non figunt pedem in aliquo principio certo; ideo non conueniunt; conueniunt, si serui definitionem admittent cum Aristotele & B. Thoma.

DISPUTATIO LXXIX.

De oratione Christi.

S. Thom. quest. 21.

SECTIO I. Deus vt homo orauit.

SECTIO II. Quo pacto oratio Christi fuerit audita?

SECTIO III. Vtrum Christus nunc oret?

SVBSECTIO I. De opinione negante.

SVBSECTIO II. De opinione affirmante.

SVBSECTIO III. Duæ conclusiones.

SVBSECTIO IV. Aliæ duæ conclusiones.

SVBSECTIO V. Ad obiecta.

§. 1.

Hic ponenda sunt documenta communia de oratione, & statuendum eam esse petitionem inferioris à superiore: est enim petitio decentium à Deo, siue hæc petitio sit actus voluntatis, siue quædam species imperij per intellectum, siue explicatio voluntatis.

SECTIO I.

Deus vt homo orauit.

§. 2. **D**ico: Christus vt homo verè & propriè orauit, non solum externè in nostrum exemplum, sed etiam internè ad impetranda beneficia à Deo tam sibi, quam nobis; vsus est ergo oratione ad finem illi ex natura sua præscriptum. Hæc est certa apud Theologos doctrina, de qua dubitare non licet. Luca 6. 12. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Itaq; 53. 12. *Et protransgressoribus rogauit.* Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis sue, preces supplicationesq; ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quibus Apostolus ostendit orationem, eiusq; fructum. Propterea dixit ipse Christus Ioan. 11. 41. *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam quia semper me audis.* At non auditur, nisi qui petit: audiri autem fructus est orationis.

§. 3. Obijcis Primò S. Thomam q. 21. art. 1. ad 1. asserentem Christum orasse, non quòd ipse vt homo esset impotens eorum quæ petebat: sed vt nos instrueret. idq; probat Primò ex Ioan. 11. 42. *Sed propter populum, qui circumstat, dixi, id est, orationis verba: vt credant, quia tu me misisti.* Propterea S. Hilarius l. 10. de Trinitate parum ante finem dicit: *Non prece eguit, pro nobis orauit, ne filius ignoraretur.* Secundò probat ex Ambrosio in Lucam: *Noli insidiarices aperire aures, vt putes Filium Dei quasi infirmum rogare, vt impetret, quod implere non possit. Potestatis enim est auctor obedientia magister, ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo.* Tertio, ex August. tom. 9.

tract. 104. in Ioan. parum ante medium: *Poterat Dominus in forma serui, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset se nostrum esse doctorem.*

§. 4. Respondeo à S. Thoma eo art. 1. aperte doceri orationem Christi. P. Suarez in comment. fateretur subdificilem inhærentiam S. Thomæ. At rectè cohæret: quia persona Christi habet voluntatem diuinam & humanam: hæc persona voluntate humana non potest omnia, eget autem ex se oratione; diuina verò omnia potest. Potuit item humana communicare virtutem, vt sine oratione efficeret, quæ vellet: at noluit id præstare: sed vt voluntas humana oraret, tum in exemplum nostrum, tum in agnitionem dependentiæ voluntatis humanæ à diuina. Respondeo ergo orationem non fuisse ortam ob impotentiam personæ Christi; sed ob voluntatem diuinam, quæ orationem voluit: at proximè orta est ex impotentia voluntatis humanæ. Christus orauit ante sepulcrum Lazari tum mente, tum voce; mente, vt impetraret Lazari suscitationem; voce, vt instrueret populum circumfusum, qui viso miraculo ex oratione Christi in eum crederet: vt perspicuè docuit August. adductus §. 3. qui veram orationem admisit; externam autem, vt nos instrueret. Hilarius rectè dixit Christum non eguisse prece: qui ipse vi diuinæ voluntatis potuit humana communicare virtutem non indigam orationis; at noluit, vt agnosceretur vt homo Filius Dei: ergo non negat orationem: quam ait esse argumentum Filij Dei: at non esset tale argumentum, nisi verè esset oratio. Ad secundum, respondeo Ambrosium aperte esse ab hac explicacione: agit enim de persona Christi, quæ vt Deus, auctor est potestatis; vt homo autem, est magister virtutis:

virtutis : docuit autem exemplo , quo oravit verè , non quo simulavit orationem . Ad tertium ex August. iam respondi .

§. 5. Obijcis Secundò : Christus sciuit , quæ essent futura : cur ergo oravit ? Quia nonnulla non erant futura nisi ea ipse peteret .

SECTION II.

Quo pacto oratio Christi fuerit audita?

§. 6. **D**ico : Oratio absoluta Christi fuit semper audita ; conditionata verò interdum non fuit audita . Prima pars constat ex Ioan. 11. 42. *Ego autem sciebam , quia semper me audis .* Secundò , quia Christus absolute nihil petiuit , nisi quod sciebat sibi ob petitionem donandum . Secunda pars conclusionis patet : quia in horto Patrem oravit , ut ab eo calicem transigeret . nec obtinuit . Qua de re longè differui disp. 75. §. 57. & 58. quæ hîc docentur à S. Thoma art. 4. P. Suarez & alijs . Cur autem Christus petiuerit , quod non erat impetraturus , iam dixi ea disp. 75. tota sect. 3. Quia Christus sciuit oppositum posteriùs ratione quàm oravit .

§. 7. Obijcis Primùm : Christum orasse pro salute æterna reprobatorum , quam non est consecutus . S. Thomas art. 4. ad 2. respondit Christum non orasse pro omnibus crucifixoribus , nec pro omnibus fidelibus , sed pro solis prædestinatis . Quæ doctrina primo pulu deterreret : si enim Christus non oravit pro reprobis , ergo non potuerunt salutem adipisci . Quia auxilia sufficientia ad salutem nemini dantur , nisi per merita Christi applicata ab ipso Christo oratione . Explico S. Thomam de oratione pro auxilio efficaci . Hoc Christus non petiuit absolute ; petiuit autem omnibus auxilia , saltem sufficientia , quæ obtinuit : prædestinatis autem efficacia ad finiendam vitam in gratia . Dicitur autem non orasse pro reprobis ad petendam absolute eorum prædestinationem . Sic dixit ipse ; *Pro eis rogo , non pro mundo ;* id est , non rogo illa oratione absoluta & efficaci , directa ad auxilia efficacia ad gratiam finalem : ipse enim quod erat in se , pro omnibus mortuus est : quòd si Patri placuisset , pro omnibus orasset absolute .

§. 8. Obijcis Secundò , in Christo esse voluntatem efficacem ; & inefficacem : at non est oratio efficax & inefficax : quia oratio est medium vile ad finem : at ex voluntate inefficaci non oriuntur media ad finem . non ergo oravit Christus , nisi ex voluntate efficaci . Quo argumento P. Vasquez disp. 82. c. 2. censet Christum non orasse calicem transigendum . Contrà : Ergo nec oravit pro salute reprobatorum . Hæc autem ratio non urget : quia non oravit pro auxilijs efficacibus , sed sufficientibus tantùm . Respondeo tamen , orationem esse conditionatam , sicut & voluntatem . Ad probationem , respondeo eam oriri à voluntate conditionata circa obiectum , si Deo non displiceat ; eam tamen de se esse efficacem , dum non scitur oppositum . de quo latè egi disp. 75. à sect. 2.

SECTION III.

Verum Christus nunc orat?

§. 9. **I**n hac controuersia est quidem dissidium inter Doctores : quod opto componendum .

SUBSECTIO I.

De opinione negante.

§. 10. **P.** Vasquez disp. 82. à cap. 2. ad 4. eruditè & acutè probat Christum nunc pro nobis non orare . Est autem duplex orandi genus : alterum proprium exercendo actum voluntatis & intellectus , necessarium ad petitionem decentium à Deo : alterum metaphoricum per ostensionem cicatricum & vestigiorum passionis , quorum Deus rectè meminit . Hæc quali excitatio memoriæ passionis per intuitionem vestigiorum vocatur interpellatio : sicut sanguis effusus Abel dicitur clamare ad Deum non formaliter , sed metaphoricè ; quæ phrasis satis est vulgaris . Accedit , merita & orationes Christi ut viatoris manere moraliter in cælo in memoria Dei , illas intuentis pro sua temporis existentia : quæ Christo viuente habet apud Deum eandem vim , ac si physicè perseuerarent ; quibus Christus ut in cælo nobis impetrat beneficia . quæ est oratio moraliter manens .

§. 11. Ait ergo P. Vasquez Christum pro nobis interpellare hac secunda ratione , non prima . A qua opinione fuere Rupertus lib. 9. de Diuinis officijs cap. 3. Espenæus de Christo mediatore c. 8. Adamus in cap. 8. ad Rom. in ea verba , *Qui etiam interpellat.* Barthol. Medina 3. p. qu. 21. art. 1. & alij apud ipsum : alios item adducit P. Ragusa 2. p. disp. 18. initio .

§. 12. Eam probat Primò ex Concilio Francfordiensi in sacrosyllabo , vbi asseritur Christus fungi munere aduocati , ostendendo Patri naturam assumptam . sed argumentum non est efficax : quia oppositæ sententiæ auctores non negant istud interpellandi genus , quod Concilium admittit ; sed admittunt formalem etiam orationem , quam Concilium non negat . Idem dico ad secundum ex auctoritate Nazianzeni , qui non negauit orationem formalem , sed deprecationem vltionis , qualis est ab eo , qui nondum est certus de euentu , nec eum habet in sua potestate : Christus autem iam ratione meritorum habebat in sua potestate morali humana , quod petebat : tantùm enim egebat applicatione voluntatis , non serui deprecatione : quod colligitur ex ea oratione 36. nu. 54. nec Elias Cretenfis multùm ab hoc discrepat . In eodem sensu loquuntur Cabasilas , & Simeon Thessalonicensis , negantes Christo omnes preces & supplicationes , quas in Missa Sacerdos exercet : non orat Christus eo more ; sed quasi potestatiuo oratione applicante merita cum certitudine euentus .

§. 13. Secundò , mouetur auctoritate Gregorij Magni , qui ei videtur magis fauere : quia asserit Christum non interpellare voce , sed monstratâ humanitate . Respondeo à Gregorio expressè affirmari veram orationem , non quidem vocalem , sed internam . ait enim lib. 22. in Iob cap. 13. *Interpellat*

S. Thom.
q. 21.

S. Thom.
q. 25.

igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione. Theodoretus, & alij adscribentes interpellationem ostensionem humanitatis, non negant veram orationem, qua recensentur merita humanitatis assumpta: imò Chrysol. intercessionem adscribit feruori charitatis.

§. 14. Tertio mouetur num. 24. Christus orans in celo, aliquid impetraret nobis, aut non impetraret. Hoc secundum dici non potest: quia eius oratio non esset inanis futura, idque sciens ipse, nihil peteret; ergo impetraret. hoc autem esse non potest: ergo. Probatur Minor: quia iam aliquid mereretur: hoc esse falsum, constat ex disp. 63. §. 99. Probo Maiorem: quia oratio impetrat ratione meriti congrui, aliquando verò condigni. Nec effugies negando promissionem. Primum, quia sine illa potest esse remuneratio: Secundò, quia illa promissio non deest orationi Christi.

§. 15. Respondeo orationem Christi in celo differre ab oratione aliorum; item & à sua, dum degebat apud nos: quòd aliæ orationes impetrabant condignè in Christo, in alijs congruè. at oratio Christi in celo impetrat, nec congruè, nec condignè, sed vt pura conditio applicans voluntatem Dei ob merita condigna præcedentia. Ratio est: quia aliæ orationes impetrant ob suam bonitatem aliquo pacto supernaturalè; quæ si deesset, non sortiretur effectum oratio: cuius bonitate Deus aut in parte, aut ex toto mouetur. ob quod opus est, vt habeat conditiones meriti condigni, aut congrui (hoc do P. Vasquez, ne digrediar ad discrimina orationis, & meriti.) At oratio Christi in celis nihil impetrat ob bonitatem suam: ac propterea nec congruè, nec condignè. Ratio est: quia tamen si ea oratio non esset supernaturalis, sed naturalis: item si non esset bona moraliter, sed indifferens; adhuc sortiretur effectum: ergo non mouet bonitate sua. Probo consequentiam: quia ea bonitas per accidens est ad mouendum. Antecedens probo: quia Christus in cruce consummavit merita, ita vt nullum deinceps Deus expectet ad conferenda Christo beneficia, quæ voluerit: ergo iam Deus non mouetur noua bonitate orationis.

§. 16. Possumus considerare Christum in cruce, aut in horto, aut vtrouique, qui obtulit omnes actus viæ pro nostra salute: eos accepit Pater, pro quibus rependit beneficia, quæ Christus peteret. Petijt tunc Christus prædestinationem electorum, & alia beneficia, quæ tunc obtulit Deus, pro quibus gratias egit Christus: qui nonnulla alia beneficia petenda reseruauit in celis; tunc ei obtulit ea Deus, quæ peteret: Christus ergo in celis ea petit. Hæc petitio est oratio, quæ est petitio decentium à Deo; cui Christus suam voluntatem exponit. in hac voluntate Deus non spectat, vtrum sit supernaturalis, vtrum honesta: sed tantum eam considerat vt applicationem meritorum Christi: vt si Christus petiuisset in cruce salutem Petro, si ipse Petrus eam peteret actu etiam indifferenti: vt nunc transubstantiat Christi corpus ad voluntatem sacerdotis etiam deprauatam: est ergo illa voluntas quædam quasi syngrapha Christi determinans voluntatem Dei ad hunc effectum; non ratione suæ bonitatis, sed vt pura conditio.

§. 17. Quarto mouetur num. 19. Christus in cruce cognouit singillatim omnia, quæ essent peten-

da: quæ ibi petijt, & quæ ibi cognouit donata iam à Deo voluntate efficaci, quæ suis quæque temporibus erat præstiturus: ergo Christus deinceps nihil petiuit. Probo consequentiam: quia qui videt sibi beneficium esse concessum, illud que videt pro suo tempore existens, non potest deinceps illud petere: id enim oriretur ex ignorantia aut diffidentia, quin ex ea cognitione sequuntur gratiarum actiones. Hoc argumentum est bonum: at negatur antecedens: Christus enim non petijt in via absolute omnia nostra beneficia, sed aliqua petijt absolute, pro quibus non fudit nouas preces, sed potius gratias egit: alia petijt sub conditione, si ipse donud ea peteret. Quod Deus etiam concessit, qui ea non dat sine noua petitione Christi; non in ratione meriti, sed puræ conditionis. Hæc autem potuit Christus efficere, tum ne vilo tempore nostræ viæ esset, quin in nos suum ostenderet amorem: tum quia voluit semper ostendere se libentissimè à Dei voluntate pendere, & ad eum singulis momentis noua beneficia petiturus confugere. Hæc pro hac sententia.

SVBSECTIO II.

De opinione affirmante.

§. 18. Christum nunc in celis pro nobis orare multorum est opinio. S. Thomæ in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. ad 1. & 2. 2. q. 83. art. 11. Abulensis in Marth. cap. 14. q. 142. quos sequuntur P. Suarez disp. 45. sect. 2. P. Ragusa 2. p. disp. 18. P. Valentia disp. 1. q. 20. p. 1. alij que recentes. Allegant pro se Bonauenturam: quem P. Vasquez exponit. Quia verò hæc sententia communior est, non est opus longo Doctorum censu.

§. 19. Ad tria capita reuocantur probationes. Primum, ad Scripturæ testimonia: quibus Christus dicitur etiam aduocatus, & interpellare pro nobis. Ad quod facile respondet P. Vasquez disp. 82. c. 4. esse aduocatum & interpellatorem tum ostensâ humanitate, tum quia dum viuit, manent moraliter merita & orationes Christi vt viatoris: quibus nunc etiam interpellat & orat, non quidem physicè, sed etiam moraliter, vt dixi §. 10. Quæ perseuerantia moralis facta est, vt ratione illius indicatur orare: vt Superior præcipiens aliquid, dicitur perseuerare in præcepto, dum illud non reuocat, tamen si physicè non perseueret præceptum, & absolute dicimur obedire præcepto non existenti. de qua perseuerantia morali multa dixi disputans de peccato habituali, quod in ea perseuerantia ego constitui.

§. 20. Secundum caput est à Patrum auctoritate, & quidem P. Vasquez fateretur ingenuè, B. Iustinum ab hac esse sententia. B. August. testimonia facile explicat de oratione viæ, de qua loquitur interdum; item de interpellatione per ostensionem humanitatis, & perseuerantiam moralem orationis viæ.

§. 21. Tertium caput est à ratione; quod facillimè diluit: oratio secundum se non dedecet Christum, nec est aliena à statu Beatòrum: sed quia Christus in via petiuit omnia beneficia, quæ voluit pro tota æternitate, vidit voluntatem Dei ea omnia concedentis. deinde eadem beneficia intuitus est vt existentia: quid ergo oraret?

SVB-

SUBSECTIO III.

Duae conclusiones.

§. 22. **D**ico Primò: Christus in via potuit omnia negotia ita componere, vt aliqua beneficia petenda referuaret in caelum: quæ petitio ea impetraret vt pura conditio, non verò vt meritum: quæ impetratio non esset quasi noua conuentio, sed applicatio, qua Christus obijceret diuinæ voluntati cōditionem pactam inter voluntatem diuinam, & humanam. Hæc conclusio quod attinet ad possibilitatem nullo probabili fundamento potest impugnari. Primùm, quia Sancti auctoresque allegati §. 11. factum negant (liquid negant) non potentiam. Nec oriretur hoc ex ignorantia Christi omnium rerum in singulari, nec ex impotentia omnia tunc absolute petendi, & componendi; sed ex eius libera voluntate, qua voluit quædam absolute in cruce petere, quædam in caelo: vt de facto id contigisse dixi pro prima sententia §. 15. & 16.

§. 23. Dico Secundò: Potuit Christus in cruce omnia ita componere, vt sine noua ratione in caelo impetraret omnia, quæ postulatet in via, non minus quam si in caelo omnia componeret nouis orationibus. Nec hæc conclusio potest cum fundamento negari. Quia merita Christi ita consummata sunt in cruce, vt nullum iam superesset expectatum à Deo, vt pretium, aut condignam compensationem: sed ibi oblata sunt omnia, quæ Deus pepigit pro pretio: nec ad impetranda præmia deerat nisi voluntas Christi petens absolute quæ vellet, quæque essent pacta. Christus in cruce rectè cognouit quid expediret petere: & quid posset in caelo petere: item nouit suam orationem in cruce eiusdem efficaciam futuram, cuius forent nouæ orationes in caelo: Christus potuit omnia ita componere, vt non esset opus noua in caelis oratione. Nec auctores adducti subsect. 2. oppositum probant.

§. 24. Dices, Christum potuisse omnia negotia vno instanti ita componere, vt non egeret oratione noua; & tamen id non effecit. Respondeo, Christum secundum se spectatū ea potuisse componere ea ratione: quia vnus eius actus meritorius habuit valorem ad ea omnia. Non egijjs duabus conclusionibus in eo sensu; sed suppono pactum initum à Deo cum Christo de reparatione nostra per multa merita exercita à Christo vt viatore. Non fuit in eius potestate libera nos redimere nisi per mortem, & alias ærumnas, quas fuit passus, & multos actus quos exercuit, vt dixi disp. 75. §. 42. itaque non potuit nos redimere nisi per mortem, non impotentia ex meritis orta, sed ex voluntate Dei hæc & illa merita postulante. at oblati iam illis meritis, & consummatis in cruce; potuit Christus in ea omnia petere absolute, quæ postea peti possent in caelo.

§. 25. En discrimen: multa beneficia præstitit Deus Christo pro certis meritis, & oratione illa impetrantibus condignè. vt fuscitatio Lazari data est pro speciali oratione ad eum finem facta. propterea dixit, *Pater gratias tibi ago, quoniam audisti me.* item auxilia præstita crucifixoribus: ob quod dixit Paulus, *Cum lacrymis, & clamore valido exauditus est*

pro sua reuerentia. Omnia ergo merita habuerunt certos effectus, qui non contingerent, nisi pro illis essent oblata. Vnde non est compositum totum negotium vno instanti; sed toto vitæ decursu morte consummato, sine quo non potuit Christus illud perficere. At meritis iam consummatis morte, nihil defuit ex parte Christi, vt illud integrè obtineret, nisi oratio absoluta de omnibus quæ vellet: at hæc oratio potuisset esse in cruce, quin reijceretur in caelos: ergo Christus potuit totum negotium in cruce perficere, quin noua oratio referuaretur in caelos.

SUBSECTIO IV.

Alie duae conclusiones.

§. 26. **D**ico Tertio: Vtrum Christus in caelura nouam orationem referuaret; an eam fuderit in cruce; incerta res est: & vtraque sententia est valdè probabilis: ego inclino in negantem propositam §. 11. Quia Christus ardentissimè sitiebat nostram salutem & omnia beneficia, quæ nobis impetrauit à Deo: ergo cum sibi integrum esset ea omnia absolute petere eadem efficaciam, qua postea peterentur in caelis, non est, cur eam orationem differret. Primùm, quia qui vehementer aliquid desiderat, illud absolute petit, cum primùm potest: ea enim est natura ardentè desiderantium, maxime cum præstò sunt omnes rationes, quæ postea occurrunt: tunc enim nulla est ratio orationem differendi: sed Christus in cruce integra nostra beneficia ardentissimè desiderauit, & ibi potuit ea omnia oratione absoluta impetrare: præstò que fuere illi rationes omnes, ob quas ea esset petiturus in caelo: ergo non distulit orationem absolutam. Secundò, quia ibi erat optima occasio ostendendi quantum nos diligeret, cum pro nobis animam inter acerbissimos cruciatus exhalaret, ne videretur doloribus fractus, nihil voluit inchoatum relinquere: ob quod (inter alia) dixit, *Consummatum est.*

§. 27. Obijcis ex §. 17. Christo suppetuisse plures rationes, quibus orationem posset differre. Fateor, ijs potuisse differre: ar potuit alijs eam accelerare; quæ me magis mouent ad asserendum factum. Iam autem ostendo, quo pacto fecerit vtrumque; nempe vt nunc oret formaliter pro nobis, nec distulerit orationem.

§. 28. Dico igitur Quartò: Christus nunc orat formaliter in caelis; non oratione noua, sed eadem numero, qua in cruce orauit. Pono, Christum consummatis morte meritis, dixisse Patri, à se illi ad apicem minimum obeditum; & ex pacto inito, iam sibi deberi beneficia, quæ ipsum deceret petere: ob quod se petere huic homini hæc, illi illa; & omnibus hominibus recensitis, illis petuit omnia beneficia, quæ postea illis contigere. Pater visà hac oratione applicante merita consummata, quæ que fuit illorum consummatio (fuit enim vltimum meritum Christi, siue fuit exercita vltimo instanti, in quo meritis est Christus, & supposuit alia omnia merita;) ei concessit absolute omnia beneficia, eadem ratione, qua à Christo absolute fuere petita.

§. 29. Dico igitur, hanc orationem terminatam ad ipsa beneficia in se, nunc in caelo durare, donec à parte rei præstentur à Deo: itaque illa oratio non solum perseverat moraliter cum vi impetratiua

con-

S. Thom.
9. 2.

condignè, quam habuit in cruce; sed etiam in se
physicè manet in cælo: sed in cruce fuit formalis
oratio pro nobis: ergo & in cælo est formalis ora-
tio. Minor est certa, & consequentia: quia esse ora-
tionem formaliter, est illi essentialè, & non extrin-
secum; ut est esse actualiter meritum: meritum
enim actualè includit supra condignitatem alias
extrinsecas circumstantias temporis, pacti, &c. ob
quod illa oratio desijt esse meritum; qua Christus
in cælo nihil meretur: nec illa ut in cælo impetrat
sua bonitate; sed impetravit in cruce, ubi fuit meri-
tum: nec ut in cælo est conditio applicans alia me-
rita: ea enim applicuit prout in cruce. at rationem
orationis retinet necessariò dum perseverat. Si er-
go probo eam perseverare, probabo Christum ea
nunc etiam orare.

§. 30. Probo igitur eam formaliter perseverare:
quia si aliquò ex capite non perseveraret, maximè
quia vel deesset cognitio, à qua pependit in cruce;
vel quia defuit auxilium supernaturale, aut habi-
tus; vel quia obiectum ita fuit mutatum; ut non
possèt eam terminare, sed aliam: at nullo ex iis ca-
pitibus necessariù fuit eam perire: ergo non periit,
sed durat, usq; dum præstetur à parte rei eius obie-
ctum. ex parte intellectus non est cur periret: quia
oriebatur à scientia infusa, aut beata; aut vnus
actus orandi ab altera, ab altera alius: at scientia
beata & infusa non patiebantur mutationem oc-
casionè mortis: quia minimè pendebant à corpore
in sui exercitatione: ergo ex hoc capite non est cur
periret oratio: nec item ex parte principiorum, ut
patet.

§. 31. Tandem nec ex parte obiecti: quia obie-
ctum est futurum toto tempore, quo durat oratio:
non enim est præsens: sed obiectum futurum est
obiectum orationis: ergo ex parte obiecti non est
cur non perseveret oratio. Minor probatur: quia
oratio ex parte voluntatis est desiderium, ut Deus
aliquid faciat: quod desiderium illi explicamus,
dum oramus: sed obiectum futurum est obiectum
desiderij: ergo & orationis.

§. 32. Aduerte nos posse à Deo petere, ut velit
aliquid facere. Quæ oratio habet pro obiecto vol-
untatem liberam Dei: item & obiectum. Possu-
mus item petere ut aliquid faciat: quæ oratio di-
rectè terminatur ad obiectum creatum, ut factibile
à Deo. Christus in cruce petiuit à Deo, ut vellet ali-
qua beneficia nobis præstare; item illa directè desi-
deravit, ut fierent. etenim Deum aliquid velle fa-
cere, non est Deum illud facere, quia ab æterno il-
lud vult, non tamen facit ab æterno: ergo & post-
quam scimus Deum illud decreuisse, desideramus
ut id exequatur. Deus decreuit facere, quæ Chris-
tus oravit: quo cognito Christus non petiuit ampli-
us eam voluntatem, sed potius circa illam gau-
dium exercuit, & gratiarum actionem: cessauit er-
go desiderium circa eam voluntatem Dei, & suc-
cessit gaudium. At non cessauit desiderium benefi-
cij in se: quia nondum erat factum à parte rei: hoc
bene potest petere: quia circa illud exercuit desi-
derium ut esset à Deo. Hoc desiderium durare po-
test, dum obiectum non existit: ergo ex parte obie-
cti non est cur oratio mutetur. Probo consequen-
tiam: quia potest durare desiderium in oratione in-
clusum: item & eius manifestatio ad Deum. Quæ
clariùs liquebunt ex argumentis.

SUBSECTIO V.

Ad obiecta.

§. 33. **O**biectis: Illa oratio prout in cælo, non for-
titur effectum: ergo non est cur sit. Pro-
bo antecedens: quia totum negotium transactum
est in cruce. Consequentia patet ex §. 2. & 17.
Respondeo orationem, quæ exercetur in cælo, ab-
solutè & simpliciter sortiri effectum: quia cum ea
impetravit prout in cruce, & pro ea donantur no-
bis nunc beneficia, est quæ ea nunc nobis utilis, &
nunc impetrat nobis bona secundum substantiam:
dantur ergo non ob aliam, sed ob illam: ergo
Christus nunc exercet orationem nobis utilem.
Dixi non ob aliam, non quòd excludam alia meri-
ta & orationes; sed ut excludam distinctionem in-
ter hanc, & eam quæ fuit in cruce: oratio autem
aliquo tempore impetrans, non est absolutè ina-
nis & vacua, sed absolutè auditur: at non sortiri
eam eos effectus prout in cælo, est se cundum quid.
Hoc autem non obest, quo minus in ea Christus
perseueret. quia iam est cum effectu; & aliunde
obiectum potest eam determinare. Ad argumen-
tum, concedo antecedens: quia prout in cælo, re-
plicat sensum secundum quid; & non absolu-
tum. & nego consequentiam: quia ut oratio fiat,
fatis est si absolutè sortiatur effectum; satisque
prudens de eo iudicium: postquam autem facta est,
potest durare, quamdiu effectus est futurus.

§. 34. **O**biectis Secundò: Ergo Christus non ha-
bet rationem prudentem, ob quam in ea oratione
perseueret. Probo consequentiam: quia orationis
finis est impetrare: at oratio prout in cælo, non im-
petrat: ergo oratio prout in cælo, caret fine. Ne-
go antecedens. Ad probationem; respondeo
orationem habere finem extrinsecum & intrinse-
cum: intrinsecus est eius obiectum formale, quod
amat, & cum petitur à Deo gratia ex affectu in be-
nitatem, eius finis & formale obiectum est Deus
ut beans; finis autem, seu obiectum materiale, est
gratia, quam volumus existere. finis extrinsecus est
impetratio ipsius rei petita, ut contingat per
orationem. Primus finis semper reperitur in oratione,
quæ sine obiectis amatis esse non potest: secundus
est accidentarius, quo carere potest oratio. cum
ergo Christus videret nostra beneficia nondum
existere, ea desideravit in cruce: perseverat autem
in eodem desiderio; quia nos amat; & quia actus
ille est maximè perfectus, ut exercet alios multos,
quamuis nihil nobis impetrant; sunt tamen in se
boni. Hinc potest Christus secundum se multos a-
lios actus de nouo exercere, qui sunt oratio pro
ijsdem beneficijs; non ut per illos impetrentur
beneficia, sed quia sunt honesti.

§. 35. **O**biectis Tertio: Ergo possumus ita petere
beneficia, quæ scimus à Deo negari efficaciter.
Nego consequentiam: licet enim affectu simplici
possumus ferri in obiecta, quæ Deus prosequitur
odio efficaci, ut in prædestinationem Iudæ: & odio
simplici possumus ferri in obiecta, quæ Deus effi-
caciter decernit, ut in damnationem Iudæ: at
affectu efficaci non possumus prosequi id, quod
Deus efficaciter non vult: in nostra verò occasio-
ne, Christus vult efficaciter ex se, quod scit Deum
velle: sunt ergo duæ voluntates concordæ.

§. 36.

§. 36. Et quamuis daremus, Christum non posse exercere nouum actum circa obiecta iam impetrata; primum retineri potest. Discrimen est, quod oratio non potest absolute & secundum substantiam fieri sine iudicio probabili, quod proficiet. Hic enim est finis extrinsecus orationis secundum substantiam: cum autem noua oratio secundum substantiam nihil esset profutura, non esset cur fieret: at oratio prior iam secundum substantiam dirigitur in hunc finem, quem obtinet substantia sua: quia illum impetrauit in cruce. Vnde non est absolute sine fine extrinsecus, ut esset oratio noua: non est autem opus ut conseruetur cum fine extrinsecus secundum omnes circumstantias: si quidem alia circumstantia retinet finem intrinsecum dependenter a fine illo extrinsecus, qui potuit intendi, ut fieret oratio in primo instanti: item & ut conseruaretur: quia si non incepisset, non conseruaretur. pendet ergo conseruatio ab illo fine quasi remotè. noua autem oratio eo fine careret.

§. 37. Tandem obijcis: Christus ut in cruce vidit beneficia pro suo tempore existentia: ergo ab oratione cessauit, & cepit gratias agere. Nego primam partem consequentis: etenim cepit gratias agere, motus noua cognitione: quia gratiarum actio orta fuit ex gaudio orto a visione beneficio-

rum ut existentium. hoc autem non obest, quo s. Thom. minus possint alio actu orto ab alia scientia deseri. 9. 2. 2. derari: velle enim ut sit res, & adhibere ad id diligentiam, non opponit gaudio: ipse Christus desiderauit suam passionem: item & de illa gaudens est, non minus quam Abraham, qui vidit, & gaudens est.

§. 38. Ita sententiam vtramque compone. Do prima, non esse nouam orationem, nec necessitatem vllam conseruandi in celo priorem. Secunde autem do formalem orationem, & vtilem secundum substantiam. Nouam autem cur admitemus?

§. 39. Hinc deduco, non esse dicendum, *Christe ora pro nobis: sed, miserere nobis.* Quia Christus nouam orationem non exercet, sed retinet priorem. Adde, omnia esse in potestate Christi, quæ potest pro arbitratu partiiri. Tandem, quia sic exprimitur persona ut diuina, quæ voluntate diuina dirigit humanam Christi in nostram salutem. Si autem locus esset nouæ orationi, & distingueret orans inter vtramque eiusdem personæ voluntatem; posset dicere, *Christe ora pro nobis:* ut possemus in via Christi dicere, *Fili Dei ora pro me:* quia esset ad mouendam voluntatem Christi ut pro me faceret, quod posset mota orationibus meis: quemadmodum Pater potuit illi præcipere, ut pro nobis oraret.

DISPUTATIO LXXX.

De sacerdotio Christi.

S. Thom. quæst. 22.

SECTIO I. *Quid sit sacerdos*

SECTIO II. *Christus fuit verè sacerdos.*

SVBSECTIO I. *Doctrina Catholica.*

SVBSECTIO II. *Difficultas vtrum Christus seipsum immolauerit?*


SVBSECTIO III. *Difficultas de Martyribus.*

SVBSECTIO IV. *Prima ratio respondendi.*

SVBSECTIO V. *Quid respondendum?*

SECTIO III. *Vtrum Christus sit sacerdos in æternum?*

SECTIO IV. *Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedec.*

§. I.  ACERDOS est mediator inter Deum & populum; qui Græcè dicitur *proxeneta*. Quæ de sacerdotio in commune sunt necessaria, perstringam breui, ne occasione eorum quæ spectant ad Christum, vniuersam disputem Theologiam: quæ autem sunt propria Christi, magis ex instituto disquiram.

SECTIO I.

Quid sit sacerdos?

§. 2. **S**acerdos latè acceptus solet usurpati pro quacumque persona Deo consecrata. Apocal. 5. v. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes.* 1. Petri cap. 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* loquitur autem de toto populo, quem Christus sibi proprio sanguine acquisiuit. Hinc sacrificium latè usurpatur pro quocumque opere dicato Deo. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: opera misericordiae vocantur hostia ab Apostolo: Talibus enim hostiis promeretur Deus.*

§. 3. At sacerdos proprie significat personam publica auctoritate constitutam ad offerendum

sacrificium pro populo, & interpellandum pro illo ad Deum. & quidem offerre dona simpliciter, preces fundere, & alia id genus, communia sunt non sacerdotibus: offerre autem sacrificium auctoritate publica, est proprium munus illius. Vnde repugnat esse sacerdotem, nisi in ordine ad victimam: cum autem ait P. Vasquez posse esse sacerdotem, quin sit sacrificium vllum, intelligitur de facto, & quando desinit esse per accidens: nam & sacerdos Leuiticus & Euangelicus potest esse aliquis, & numquam sacrificare. at in vtraque lege sacrificia reperiuntur, quæ possint ab istis offerri: si autem per se sacrificia essent impossibilia, aut prohibita, non posset esse sacerdos: quemadmodum non posset esse rex Indorum, si Deus decreuisset numquam creare Indos. propterea Apostolus agens de sacerdotio ad Heb. 5. inquit: *Omnis namque*

Pou-